



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Post Concionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

veritas moueat linguam, vt vitam feriat: ab-  
sit, vt verbis mihi ipsi iudex & factis accusator  
euadam, sed da, vt fortius opere doceam quam  
verbo, ne cœleste pabulum culpâ meâ vitiatum  
ouibus tuis sine omni profectu frustra propona-  
tur.

Domine Iesu, & me & auditores meos,  
sanctorum nobis assistentium Angelorum ma-  
nibus in sacratissimi Cordis tui benedicti Vul-  
nere colloco & repono, vbi ab inimico Verbi  
tui fructum gnauiter impedituriente, tuti &  
securi degamus, vbi velut in cœlestis sapientia  
tuæ Gymnasio in eloquijs tuis sufficienter in-  
struamur, tibiq; deinceps fidelissimè seruien-  
tes, ad æterna Beatorum consortia, post hanc  
vitam dignè recipiamur, à te Saluatore & Iu-  
dice nostro, qui cum Patre & spiritu Sancto  
es benedictus in secula, Amen.

### POST CONCIONEM.

Commendabis\* Auditores tuos de-  
nuò Christo Saluatori, vt semen  
Verbi eius à te iactum in cordibus fide-  
lium fructum multum adferre iubeat.  
Nam neque qui rigat, est aliquid, neque  
qui plantat, sed qui incrementum dat  
Deus. Item commenda illos Angelis suis  
cu-

cu-

custodibus, vt identidem segnes exstimulent ad faciendum ea quæ didicerunt, & inimicum prohibeant, ne supereminet zizania, aut bonum semen eradat.

## ORATIO.

**T** Vanos, quæsumus Domine, gratia semper præueniat & subsequatur, & bonis operibus iugiter præstet esse intentos.

Largire nobis, quæsumus Domine, semper Spiritum cogitandi, quæ recta sunt, propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat, in vnitæte Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Scriptit deinde breue compendium eorum omnium, quæ seruatu maximè necessaria sunt Monialibus, & quibus diligenter re ipsa præstitis facili methode possint ad summam perfectionem adspirare: sunt ea valde perfectionis cupidis in eo statu vtilia: quæ ideo ad calcem libri Latio donata reieci, ne narrationis filum interrumpam.

Accidit verò frequenter, vt grauibus acutisque morbis Iacobus affligeretur.

Vir-

Virgines, vt ei quo possent modo suum gratificandi studium declararent, cibos delicatos, exquisitis condimentis apparatus aegro transmittabant: quibus ille inspectis, ridenti vultu familiaribus adstantibus, vt se magis vinceret, dicere solebat: *Næ illi cibi lautissimi videntur: delicatè parati, conditi optimè: facerent vtiq; ad gustum, & stomachum meum: sed heus VVilhelme, is dum ei ab obsequijs erat, ad nosocomium propera: reperies sat multos, qui magis quàm ego talibus delicijs indigent: mihi vulgaris & parabilis adhuc cibus sapit.* Ita nec tactu vel gustatu dignatus lautiora fercula, domo abesse voluit. Solenne hoc illi erat, cum ab amicis etiam vel Parœcis epulæ conquistæ mitterentur, plerumque ad ægrum quendam, qui in vico *Sahenbuch* appellato nouem annis affixus lecto decumbebat, vel ad hospitalia destinare.

Sub idem ferè tempus festo Circumcisionis Domini reuersus, post labores maximos domi pessimè habere cœpit, & varijs iactari, lancinariq; doloribus, vt mortuo quàm viuo similior videretur, & sudor è corpore præsertim è vul-

F

tu

tu maneret vberimus : depositus ad-  
 ignem sex ipsas horas quasi cum morte  
 colluctari videbatur , Medico protinus  
 vocato : sed qui parum leniret tantos do-  
 loris aculeos : elapsis sex horis cum pau-  
 lulum remitteret inclementia morbi,  
 gaudere visus est , & ridente facie con-  
 uersus ad adstantes , ait : *Quam bonus*  
*est Dominus : ecce quam hoc die mihi pre-*  
*tiosam strenam offerre dignatus est , vt par-*  
*ticeps fierem doloris , quem nostrâ causâ per-*  
*tulit : Interim nullum vel gemitum,*  
*vel animi impatientis leuissimum tota æ-*  
*grotatione signum edidit : immò sum-*  
*mis in beneficijs habuit, Circumciso Do-*  
*mino compati: nam si compatimur, & con-*  
*regnabimus.*

C A P V T XXIX.

*Egregia documenta , quæ familiari sacris ini-*  
*tiano dedit , & varia eius præclara*  
*facta & dicta.*

**D**Ebetur hoc Caput & præcedens  
 R. D. Wilhelmo Røemer Virfensi,  
 Vicario B. Virginis Dolorosæ in Scheib-  
 bahn